

tur? Et respondet Magister, quòd iustorum animæ in adventu Christi Domini viventes, solvent pœnam temporalem per brevi ac celeri punitione ignis, quanvis nulla pro eis suffragia offerantur.

39. Quod patet quoad utramque partem. Et primò, quantum ad primam dicimus, quod luent temporalem pœnam, quæ debita est pro peccatis, quia omne debitum solvendum est in hâc, aut alia vitâ: ergo cum jam non sit locus pœnæ iustis post iudicium finale, necessariò solvent pœnam temporalem in hâc vitâ, brevi ac celeri ignis cruciatu.

40. Quantum ad secundam partem etiam dicimus, quòd inexhaustus thesaurus Ecclesiæ meritis Christi Domini, & iustorum locuples eis applicabitur ad celerem punitionem, ut ita possint sibi ante tribunal Christi, quanvis ex parte viventium, in illo novissimo sæculi articulo, nulla offerantur suffragia. Nam omne debitum pro peccatis persolvendum est, omnisque iustorum macula purganda, cum nihil coinquinatum possit intrare in regnum Cœlorum: ergo cum ignis tormentum in illo postremo Orbis instanti videatur non sufficere pro plenâ temporalis pœnæ solutione; nec ex parte viventium nulla possint offerri suffragia, necessariò thesaurus Ecclesiæ meritis Christi, & iustorum summè dives applicabitur pro illâ celeri punitione ignis: ergo omnes tunc luent pœnas, quanvis nulla pro ipsis suffragia offerantur. Et hæc de secundâ parte sint satis.

41. PRO TERTIÆ autem, & ultimæ distinctionis partis demonstratione, hoc tertium adducitur theorema: *Sancti, & Angeli, hominum orationes Deo offerunt, & ea, quæ hic apud nos aguntur, agnoscunt.* Hoc deducimus ex Magistro in textûs litterâ sedulò inquirentes: Utrum Sancti, & Angeli preces nostras, & vota sibi porrecta audiant, & sciant?

42. Probat primò assertum Magister ex Augustino lib. de orando Deo, cap. 9. dicente: *Angelis, qui sunt apud Deum, innotescunt petitiones vestra, ut quodam modo eas offerant Deo.* Sed ex eò quòd Angelis nostræ innotescant petitiones, easque Deo offerant, haud dubiè Sancti, & Angeli preces nostras, & vota sibi porrecta audiant, & sciunt: ergo Sanctos, & Angelos orationes hominum Deo offerre, & ea, quæ hic apud nos aguntur, agnoscere, nihil aliud erit, quàm preces nostras, & vota sibi porrecta audire, simulque scire.

43. Secundò probat ex illo Tobia cap. 12. Angelo Domini hominibus dicente: *Cum oraretis, orationem vestram obtuli Deo.* Sed preces, orationesque nostras non possunt Angeli Deo offerre, quin priùs innotescant ipsis: ergo Sancti, & Angeli non solum offerunt Deo hominum

num orationes, & vota, verum & ea, quæ hic apud nos contingunt, agnoscunt, cum sic petitiones nostras audiant, & sciant.

44. Tertiò ex eodem Augustino sup. epist. ad Philip. cap. 4. quæ de animabus Sanctorum, ac de Angelis alloquente: *Si autem Angeli à Deo per verbum ejus discunt petitiones nostras, & quid de eis implendum sit, & quid non? Cur non credamus, & animas Sanctorum faciem Dei contemplantium, in ejus veritate intelligere preces hominum, & quæ implenda sint, vel non? Sed Angeli orationes hominum audiant, & sciunt, easque Deo offerunt: ergo si ipso jure discursandum est de animabus Sanctorum, ac de Angelis, juxta Augustinum, etiam Sanctorum animæ preces hominum audiant, & scient, ipsasque offerent Deo.*

45. Quartò ratione, ex his autoritatibus deductâ, potest sic assumptum probari, tam pro Angelis, quàm pro Sanctorum animabus: Cunctis beatis innotescunt in Verbo, sive divinâ essentiâ ea, quæ ad ipsorum gloriam spectant; sed fidelium preces, vota que eorum in ipsos Sanctos relata, ad eorum gloriam spectant: ergo in ipso Verbo, sive divinâ essentiâ innotescunt Sanctis, & Angelis preces, & vota nostra, quæ in ipsorum gloriam referimus; atque adeò audiant, & sciunt fidelium orationes Sancti, easque offerunt Deo unâ cum Angelis.

46. Undè ex Augustini doctrinâ hactenus traditâ colligimus, quòd licet Angeli, & Sancti preces nostras, & vota Deo offerant, sive ab ipsis ea deportentur ad Deum, hoc non fit, ut Deo innotescant per Angelos, & Sanctos, cum sit infinitè sapiens, & omnia à se perfectè cognoscat; sed ut præcisè eorum meritis, & impetratione juvari possimus. *Oramus ergò, ait Augustinus in litterâ, ut Sancti intercedant pro nobis, id est, ut merita eorum nobis suffragentur, & ut ipsi velint bonum nostrum, quia ipsis volentibus Deus vult, & ita fiet.* Ergo id ipsum de precibus ad Sanctos fuis tenendum est, quod de Angelis hucusque expendimus.

47. Sed oppones primò: Nulla est sufficiens ratio, ut Angeli, & Sancti nostras possint Deo offerre preces, & vota: ergo hoc Magistri placitum non subsistit. Antecedens probatur: Si preces, vota que nostra possent Angeli, & Sancti deportare ad Deum, aliqua innixi ratione, maximè, quia Deus ea ignoraret; sed Deus suâ scientiâ infinitâ præditus, corda omnium noscit: ergo nulla ratio videtur sufficiens, ut Angeli, & Sancti possint preces nostras, & vota offerre Deo; ac proinde Magistri placitum insufficiens censetur.

48. Respondetur cum Magistro ex Augustino in litterâ negando

Antecedens, & ejus probationem. Non enim Angeli, & Sancti preces, vota que nostra Deo offerunt, quasi Deus extunc noverit quid velimus, & quò indigeamus, quæ omnia antequàm fiant, sicut & postquam facta sunt, novit; sed quia necesse habet rationalis creatura temporales causas ad Deum referre, sive petendo quid erga se fiat, sive consulendo quid faciat: Nam, & nos orantes Deum, non eum docemus, quia jam novit, quid nobis necesse sit, priusquam ab eo petamus, & tamen sufficiens ratio subsistit pro oratione à nobis exequenda.

49. Oppones secundò: Beatus habet quidquid vult, eò quòd ipsi ad nutum suæ voluntatis cuncta succedant; sed qui habet quidquid vult, nec orat, nec petit, cum sit incassum respectu illius petere; aut orare: ergo Angeli aut Sancti in patriâ non orant pro nobis, nec nostras preces, seu vota offerunt Deo.

50. Respondetur, quòd licet de substantiâ beatitudinis sit, quòd beatus habeat quidquid vult sibi; non verò quòd habeat quidquid aliis vult; sed præcisè de beatitudine consummatâ, & plenâ omnium electorum, quæ non erit quousque omnes electi sint æternâ gloriâ laureati; tunc enim quilibet habebit quod vult sibi, & quod vult cuilibet alteri. Cum ergò modò non possideat beatus quidquid vult aliis, quâvis habeat quidquid sibi, potest pro nobis orare, nostrasque preces, & vota Deo offerre.

51. Oppones tertio: Si Sancti in patriâ pro nobis orarent, semel aliquid nobis à Deo impetrarent; sed nihil à Deo possunt nobis consequi: ergo nec pro nobis orare. Minor probatur: Sancti suam voluntati divinæ per omnia voluntatem consonant: ergo non orant, nec petunt, nisi quod Deus vult dare; sed quod Deus vult dare, præstabit, etiam si Sancti non orent, aut petant: ergo nihil à Deo possunt nobis consequi; proindeque nec petere, aut orare.

52. Respondetur negando Minorem. Ad probationem nego iterum Minorem, & Consequentiam. Quia Sancti fructuosè pro nobis Deum exorant, eò quòd videant in Verbo, Deum decrevisse nos salvare per eorum preces; ideòque instantissimè rogant, & impetrant: Quemadmodum docet Augustinus, quòd nos pro prædestinatis orare debemus, quia fortassè prædestinari sunt, ut nostris orationibus confirmantur. Vel si innotesceret nobis, quòd eorum prædestinatio fuit prævisa ad nostras preces, deberemus utique pro eis rogare, quia per preces nostras salvantur. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QUÆ-

QUÆSTIONES.

53. QUÆSTIO 1. An viventium suffragia profint defunctis in Purgatorio? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. Salmant. de Sacram. tract. 5. cap. 2. punct. 3. & tom. 11. disp. 13. dub. 4. §. 5. Contenson dissert. 3. cap. 2. specul. 3. Reding tom. 7. q. 12. art. 1. Controv. 1. Capisuechus Controv. 4. q. unic. Maurit. de Lezanâ verb. Purgatorium, num. 3. Raynerius de Pisis verb. Purgatorium, num. 4. & seqq.

54. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 45. q. 1. & seqq. & quodlib. 20. art. 1. Bordonus tom. ult. cap. 8. pag. 126. Brancatus de Lauræa tom. 4. disp. 26. art. 11. §. 1. & seqq. Boscus tom. 2. disp. 5. sect. 3. conclus. 6. Portel in dub. regular. verb. Purgatorium, num. 3. & seqq. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. Purgatorium, num. 2. & seqq.

55. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 27. sect. 5. Amicus tom. 8. disp. 20. sect. 8. Arriaga tom. 7. disp. 51. sect. 3. & disp. 52. sect. 2. Granados tract. 9. disp. 5. num. 8. Dicastillo tom. 2. tract. 9. disp. 1. dub. 6. & 7. Coninch disp. 11. dub. 7. Delugo disp. 26. sect. 2. Henna de Sacrific. Missa disp. 17. sect. 3. Tambur. cap. 2. lib. 2. de Missa §. 15. Layman lib. 5. tract. 7. cap. 7. Raynand. in errore popul. an. 1637.

56. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 45. art. 2. q. 1. Gavardi tom. 6. q. 5. de Euchar. art. 6. Averfa q. 11. sect. 6. Franc. Bardi 4. tract. 3. cap. 2. sect. 3. Passæo verb. suffrag. num. 4. & seqq. Bonacina disp. 6. q. 1. punct. 6. Pasqualig. q. 74. Gaudentius tom. 7. tract. de Purgatorio, disp. 4. q. 2. Thom. Hurtado var. resol. p. 2. tract. ult. resol. 11. Trullench lib. 3. cap. 4. dub. 1.

57. QUÆST. 2. An defunctorum animæ, quæ nullâ indigent purgatione, statim Deo potiuntur? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 49. art. 4. Conetus tom. 3. tract. 1. disp. 4. art. 1. Mauritius de Lezanâ verb. Purgatorium, num. 4. & seqq. Raynerius de Pisis verb. Purgatorium, num. 6. & seqq.

58. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 46. q. 12. Brancatus de Lauræa tom. 4. disp. 14. art. 6. Carriere tom. 1. art. 12. q. 4. & tom. 2. art. 30. q. 1. Alphons. de Castro verb. beatitudo. Durand tom. 2. disp. 6. de beatitudine, q. 1. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. Purgatorium, num. 7. & seqq.

59. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 13. sect. 1. Arriaga tom. 2. disp. 58. sect. 2. subsect. 1. Bellarminus lib. 1. de beat. cap. 4. Oviedus de beat. tract. 1. Controv. 6. punct. 1.

Ex

60. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 49. art. 7. q. 1. Gaudentius tom. 3. tract. 1. de beatitudine, disp. 2. q. 19. Baudunius tom. 2. tract. 2. q. 4. art. 3. Caspens. tom. 1. disp. 1. de visione, sect. 2. Bassæus verb. suffrag. num. 7. Pasqualig. q. 75. & seqq.

61. QUÆST. 3. An sacrificia, indulgentiaque pro defunctis concessa, certò & infallibiliter ipsis prodeant ex iustitiâ, aut misericordiâ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. Labat tom. 6. disp. 5. dub. 3. §. 3. Salmant. de Sacram. tract. 5. cap. 3. dub. 7. num. 39. & tom. 11. disp. 13. dub. 5. §. 4. Sotus in 4. dist. 45. q. 2. art. 1. Canus lib. 12. cap. 13. Reding tom. 7. q. 12. art. 2. Controv. 6. Martinez Prado tract. 5. dub. 11. & 12.

62. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 45. q. 1. & seqq. Mastrius in 4. disp. 4. q. 7. art. 1. & 2. Macedo de Clavib. lib. 4. tract. 3. de Sacrific. cap. 3. & tract. 4. cap. 6. de indulg. Cotonius tom. 1. lib. 2. Controv. 11. cap. 1. q. 2. Cordova lib. 5. q. 19. Rodriguez tom. 2. q. 96. art. 4. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. suffrag. diff. 1. & seqq. Bofcus tom. 2. disp. 5. sect. 6. conclus. 1.

63. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 53. sect. 1. Amicus tom. 8. disp. 20. sect. 8. Arriaga tom. 8. disp. 23. sect. 6. subsect. 1. & 2. & disp. 24. sect. 4. subsect. 2. Carleton tom. 2. disp. 82. sect. 5. Lugo disp. 27. sect. 5. Dicastillo tom. 2. tract. 9. disp. 2. dub. 17. Muniellâ de Euchar. disp. 14. sect. 9. Henriquez lib. 7. cap. 7. num. 4. Vazquez disp. 228. cap. 4. Layman lib. 5. tract. 7. cap. 7.

64. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 45. p. 2. q. 5. Bassæus verb. suffrag. num. 6. & tom. 2. verb. indul. num. 1. & seqq. Faustus lib. 2. q. 169. Gaudentius tom. 7. tract. de indulg. disp. 2. q. 9. Diana p. 9. tract. 2. resol. 2. Gavardi tom. 6. q. 5. de Euchar. art. 6. & q. 1. de pœnit. art. 6. §. 1.

65. QUÆST. 4. An, & quomodò Christus Dominus, Beati ni patriâ, & purgatorii Animæ nunc orent pro nobis? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. & 3. p. q. 21. & 2. 2. q. 83. art. 11. Joannes à S. Thomâ tom. unic. disp. 27. q. 83. art. 8. Capisichus Controv. 6. q. unic. Gabriel à S. Vincentio in 3. p. disp. 21. Maurit. de Lezanâ verb. suffrag. num. 9. & seqq.

66. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 45. q. 2. & seqq. Mastrius disp. 2. q. 12. num. 340. Brancatus tom. 1. disp. 25. art. 10. Carriere tom. 2. art. 32. q. 2. & seqq. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. suffrag. num. 12. & seqq. Cotonius tom. 1. lib. 4. Controv. 1. cap. 2. Aquila in 4. dist. 45. q. 1. art. 1. & seqq.

Ex

67. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 11. Carleton tom. 2. disp. 58. sect. 1. & 2. Valentia tom. 2. de indulg. Bellarm. tom. Controv. lib. 1. de beat. à cap. 15. Vazquez disp. 82. cap. 2. Beccan. cap. 17. q. 1. Lugo disp. 28. num. 63. Arriaga disp. 49. sect. 3. Toletus in cap. 19. Joan. annot. 34.

68. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 49. art. 3. & tom. 1. Opuscul. 39. cap. 98. Abulens. q. 141. in Matth. cap. 14. Caspens. tom. 2. disp. 12. sect. unic. Morand. q. 50. Baudunius tom. 3. tract. 1. q. 21. art. unic. Bassæus verb. suffrag. num. 5. Gaudentius tom. 4. tract. 5. disp. 4. q. 17. & tom. 6. disp. 22. q. 4.

69. QUÆST. 5. An, & quomodò Animæ existentes in Purgatorio, sive in inferno puniantur igne corporeo? De quo, dist. 44. q. 1.

70. QUÆST. 6. An peccata venialia non solum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam remittantur in Purgatorio, sive in inferno? De quo, Authores allegati tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 1. & 2.

71. QUÆST. 7. An peccatum veniale mortali conjunctum puniatur in inferno pœnâ æternâ? De quo, tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 1. & 2.

DE STATU, ET CONDITIONE MALORUM post mortem.

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ-SEXTÆ SYNOPSIS.

Commiserans Judex, aliàs aequissimus, ipsos

Damnatos punit, quàm meruere, minus.

Sic incipit: Sed queritur hic.

Sic terminat: Aliquando è conversò.

1. **C**ONnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de remuneratione, & punitione animarum antevertente iudicium, & resurrectionem generalem mortuorum; sed in præsentî determinat de divinâ iustitiâ, & misericordiâ, quibus prædicta dispensantur: ergo rectum inter se ordinem servant.

2. Consequentia probatur: Prius est pro hominum meritis, aut

Tom. V.

Bb

193